Quelle: http://manuscripta.at/?ID=42092
Copyright: Bozen/Bolzano, Museumsverein (Depot im Stadtmuseum)



accensam. accolito baiolante Cereū magnū qui benedicturus est. dicat diaconus tribus uicibus clara uoce: Lumen xpi. et statim crucē faciens super cereū bñdicat eum sic dicens.

Exultet iam angelica turba celorum. exultent diuina misteria. et pro tanti regis victoria tuba intonet salutaris. Gaudeat se tellus tantis irradiata fulgoribus. et eterni regis splendore illustrata tocius orbis se senciat amisisse caliginem. Letetur et mater ecclesia tanti luminis ad ornata fulgoribus. et magnis populorum vocibus hec aula resultet. Qua propter astantes vos fratres karissimi. ad tam miram sancti huius luminis claritatē. vna mecum queso dei omnipotentis misericordiam inuocate. ut qui me nō meis meritis intra leuitarum numerum dignatus es aggregare luminis sui gratiam infundendo cerey huius laudem implere precipiat. Per dnm nrm ihm xpm filium suum. qui cum eo et spiritu sancto viuit et regnat deus.

Per omnia secula seculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad dominum. Gracias agamus domino deo nostro. Dignum et iustum est.

Vere quia dignum et iustum est. Inuisibilem deum patrem omnipotentem. filiumque eius vnigenitum dominum nostrū ihm xpm. cum sancto spiritu. toto cordis ac mentis affectu. et uocis ministerio psonare. Qui pro nobis eterno patri ade debitum soluit. et ueteris piaculi cautionem pio cruore detersit. Hec sunt enim festa paschalia in quibus uerus ille agnus occiditur. eiusque sanguine postes consecrantur. Hec nox est in qua primū patres nostros filios israhel eduxisti de egipto. quos postea rubrum mare sicco uestigio transire fecisti. Hec igitur nox est que peccatorum tenebras columpne illuminatione purgauit. Hec nox est que hodie per vniuersum mundum in xpo credentes auicus seculi et caligine peccatorum segregatos. reddit gracie sociatque sanc